

(8.)

## SECTIO II.

### De Eo quod justum est in dubia Volun- tate, ubi de legitimis interpretatio- nis regulis ex Jure Gentium.

#### §. I.

*Ingressus.*

**P**ostquam itaque superiori Sectione prolixius de-  
monstravimus unde dubia voluntas oriatur, pau-  
cis hac sectione de legitimis interpretationis re-  
gulis, quatenus sunt ex Jure Gentium, agendum ve-  
nit.

*Quousque voluntas dubia est, ex ea ius nasci non potest.*     §. 2. Ex omni enim voluntatis declaratione, quo-  
usque in profundis tenebris ferè absconsa est ejus cer-  
titudo, (sit hīc saltem venia voci) nullum jus, nulla  
obligatio nascitur. Cūm enim moraliter idem sit, non  
esse & non apparere, ex voluntate autem, quæ decla-  
rata nondum est, nullum jus oriatur *per sect. 1. §. 1.*  
non magis ex hac, quæ dubia est, quam ex illa, quæ non  
est, obligatio nasci potest.

*Hinc siden- dum an cer- tare reddi pos- sit, ubi quid nomine cer- ti hic veniat.*     §. 3. Cūm autem certitudo plenaria vix sperari  
possit, talis in jure sufficit, & admittitur, qualis inter  
homines commodè haberi potest, & inter ipsos pro  
tali computari solet. Ut proinde, si de interpretatio-  
ne voluntatis dubiæ quæramus, qua mediante volun-  
tas haec tenus obscura & dubia certa reddi possit, ac de-  
beat, nobis hoc loco nomine certi veniat, quod in vita  
Civili inter homines pro indubitato haberi solet & de-  
bet.

*Prima re- gula inter- pretationis, si verba sunt dubia.*     §. 4. Ut ergò ordine singula pertractemus, videa-  
mus primo loco, quid juris sit in casu, ubi verba du-  
bia